SAPIENTIAE MATRI DOMINAE N. OMNIUM MAXIMAE DEIPARAE VIRGINI PUBLICUM...

Girolamo Giuliani

SAPIENTIAE . MATRI.
DNAE . N . OMNIVM . MAXIMAE .
DEIPARAE . VIRGINI.
PVBLICVM.
VNIVERSAE . PHILOSOPHIAE.
QVAM . IN . PERVSINO.
SOC . JESV . COLLEGIO . AVDIIT.
SPECIMEN . ECLECTICUM.
NVMINI . MAIESTATIQVE . EIVS.
DEVOTVS.
HIERONYMVS . GIVLIANI.
CIVIS . LVCENSIS.
L . M . DEDD.
FACTA . CVILIBET . POST . TERTIVM.
OPPONENDI . FACVLTATE.

PERUSIÆ ANN. AER. CRIST. M. DCC. LXXI.

Excudebat Petrus Joannes Costantini
De Praesidum Auctoritate.

SPECIMEN ECLECTICUM

LOGICAE.

DE IDEIS.

I. IDeae rerum sensibilium formales, ut vocant, non sunt, nisi perceptio motus, qui ab objectis externis imprimitur sensibus, & deinde cerebro communicatur.

II. Atque hic solusquidem & sensuum, & cerebri motus sufficit ad explicandam non modo tantam idearum varietatem, quam pro varietate objectorum sensibilium experimur, sed etiam miram illam celeritatem, qua praesentia objecta percipimus.

III. Immo non aliter, quam per hunc ipsum motum explicandae sunt cum praeteritarum rerum ideae, quae saepe occurrunt memoriae; tum ideae objectorum absentium, quae saepe in phantasia excitantur; tum denique ipsae illae rerum imagines, quae saepe nobis exhibentur per somnia sine ullo externo objectorum appulsu.

IV. Hinc ideae rerum sensibilium neque sunt phantasmamata, seu idola corporea juxta Epicureorum doctrinam; neque sunt species impressae primum in sensibus, deinde ab intellectu expressae juxta doctrinam Peripateticorum.

V. AB ideis nonnisi cogitate, & mature progrediendum est ad judicia. Plurima enim sunt, quae nos in judicando maxime cautos, ac timidos debent efficere.

VI. Quare non est cum Dogmaticis omnis dubitandi ratio contemnenda.

DE RATIOCINATIONE ET SCIENTIA.

VII. ABsit tamen, ut statuamus cum Scepticis, veritatem omnem adeo imperviam esse, ut in perpetua omnium rerum dubitatione haerere debeamus suspensi.

VIII. Plura enim certo, & evidenter cuique innotescunt, de quibus ne ipse quidem Scepticus, si cordatum agat virum, potest dubitare.

IX. Neque de his solum, quae adeo clare percipiuntur, sed de aliis pluribus non est dubitandum, licet infra summam hanc evidentiam constitutis; de iis nimirum, quae satis congrue moraliter certa consuevimus appellare.

X. Hujus moralis certitudinis criterium inter alia esse potest etiam hominum testimonium: ut, si omnia juxta Criticae leges fuerint explorata, non modo iis, quae in humana consuetudine usuvenire solent, sed pluribus etiam factis historicis habere fidem omnino debeamus.

XI. Denique & ex Analogia suis pariter finibus, ac legibus circumscripta deduci potest argumentum assensu dignissimum.

DE METHODO.

XII. AD veritatem in Physicis potissimum assequendam potior methodus est Analytica; qua nimirum ex phænomenis, & naturalibus effectibus rite perpensis ad universales corporum vires, & proprietates stabiliendas ascendimus.

XIII. Hinc diuturna, ac sedula naturae virium, ac proprietatum investigatio per varia experimenta non est philosopho improbanda.

XIV. Immo hac potissimum via scientiam physicam perfici, ac promoveri posse censendum est.

XV. Neque obstat, diversas interdum, atque etiam oppositas circa idem phaenomenon experientias haberi: non desunt enim certissimi canones, juxta quos veras experientias discernamus a falsis.

SPECIMEN ECLECTICUM
PHYSICAE
EX PHYSICA GENERALI

DE PRIMARIIS CORPORUM PROPRIETATIBUS.

XVI. COrporum Extensionem, quam nemo ignorat, sequitur Configuratio, quae in particulis etiam componentibus aeque, ac in ipso composito corpore est admittenda.

 XVII.

XVII. At quae sit certa hujusmodi componentium particularum figura, id vero determinari non potest, quidquid contra Theophrastus, Lucretius, aliique contenderint.

XVIII. Et Mobilitas materiae convenit, circa quam illud etiam certum, actioni unius contrariam esse, & aequalem reactionem alterius.

XIX. Hoc fit, ut corpus incurrens in aliud tantum sui motus deperdat, quantum alteri quiescenti communicat.

XX. Convenit materiae etiam Gravitas, at ejusmodi, quae in eadem a centro terrae distantia semper eadem est, & uniformis, et solum diversa pro diversa quantitate materiae.

DE CORPORUM QUALITATIBUS ET DIFFERENTIIS.

XXI. OCcasione disputationis de Firmitate corporum solidorum examinamus phaenomenon hoc aevo celebre cujusdam nimirum phialae ellipticа figura instructae, collo longiusculo, & crassiori fundo, quae solo jactu silicis exigui, vel adamantis, vel alterius materiae solidae, & elasticae crepat, et in plures dissilit partes non sine fragore. Dicimus autem, caussam diffractionis ejusmodi phialae explicandam esse tum ab inaequali vitrearum partium distractione, & tensione, tum a repetita, ratione elastici corporis, vibratione in partes oppositas.

XXII. Occasione disputationis de Frigore caussam congelationis inquirimus, statuimusque, eam positam esse in particulis quibusdam subtilibus, quas conglaciantes vocamus, cujusmodi sunt salinae praesertim, & nitrosae.

XXIII. Recedimus itaque ab iis, qui caussam, cur aqua vertatur in glaciem, in sola particularum quiete constituunt.

XXIV. Et ab iis recedimus, qui eandem caussam a sola repetunt exclusione particularum ignis.

XXV. Occasione disputationis de Coloribus colores corporum permanentes explicamus, eosque non ipsis corporibus, sed lucis radiis inesse cum Newtono contendimus.

XXVI. Cōcurrunt tamen & ipsa corpora ad permanentem suorum colorum apparentiam, quatenus diversi eorum colores a diversa oriuntur ipsorum corporum conditione, atque textura, qua fit, ut diversae radiorum conjugationes, vel unius potius, quam alterius genegeneris radii copiosius reflectantur.

EX PHYSICA PARTICULARI.

DE CORPORIBUS TERRESTRIBUS.

XXVII. Fontes, lacus, ac flumina, quae telluris irrigant globum, immediatam non habent a Mari originem, & alimoniam:

XXVIII. Sed eam habent potius a pluviis, nivibus, caeterisque humoribus liquefactis ab Atmosphaera deciduis.

XXIX. Testacea, quae in montibus concreta, ac lapidefacta inveniuntur, non sunt lusus naturae, quemadmodum somniarunt Peripatetici, sed inter viventia olim corpora sunt recensenda.

XXX. Deposita autem fuerunt in montibus non ab ovulis

lis aſcendentibus in ſublime per terrae meatus, non ab alluvionibus peculiaribus, non ab actione ignium ſubterraneorum, qui una cum piſcium ſtratis montes ſuſtulerint e ſundo maris.

XXXI. Sed cauſſa ſaltem magis praecipua, quae Teſtacea detulit intra montes, non alia fuiſſe videtur, quam univerſale Diluvium.

XXXII. Quae in hominum corpore interdum apparent notae, ſeu maculae, vulgo apud Italos *voglie* appellatae, nullo modo effectus imaginationis matrum dicendae ſunt.

XXXIII. Nihil enim ſunt aliud, quam fortuitae combinationes ſanguinis, humorum, ſimiliumque cauſſarum.

DE CORPORIBUS EXTRA TERRAM POSITIS.

XXXIV. IRis tum primaria, tum ſecundaria efformatur a minutis aquae guttulis labentibus e nube roſcida oppoſita Soli.

XXXV. Iridis autem colores ex Newtoniana colorum theoria optime explicantur.

SPE-

SPECIMEN ECLECTICUM METAPHYSICAE

DE DEO.

XXXVI. Inani consilio, & irrito plane conatu ad solam naturalem rationem provocant Deistae, aliique id genus irreligiosi viri, ut Religioni detrahant erga Deum. Nam vel sola naturali ratione duce ipsum illud, quod ii negant, usque ad Revelatae Religionis existentiam, demonstratur.

XXXVII. Et sane vel sola naturalis ratio suadet primum Religionem erga Deum Naturalem, seu obligationem exhibendi Deo cultum ex naturae praecepto.

XXXVIII. Et hic quidem Dei cultus ex ipsis rationis principiis probatur tum theoreticus esse debere, tum practicus.

XXXIX. Ipse autem practicus cultus probatur esse debere mixtus, seu non modo internus, verum etiam externus.

XL. At cultus ejusmodi mixtus, ut ex eodem rationis lumine constat, nunquam rite exhiberi poterit, nisi in specie divinitus reveletur. Hinc Religioni naturali necessario superaddi debuit revelata.

XLI. Ac superaddita reipsa fuit per sacros tum Veteris, tum Novi Testamenti Codices.

XLII.

XLII. Nam Sacri Codices utriuſque Teſtamenti ex una parte & genuini ſunt, & veraces, ſi vel ad ſeveriores Criticae leges expendantur:

XLIII. Ex alia parte vel ſola naturali ratiocinatione oſtenditur, eosdem Codices Religionem continere divinitus revelatam.

XLIV. Itaque praeter Naturalem, etiam Revelata Religio admittenda eſt.

XLV. Perperam igitur jactant quotidie in vulgus per ſummum nefas Deiſtae, Religionem revelatam eſse merum Catholicorum commentum.

DE HUMANA MENTE.

XLVI. INter praecipuos actus humanae mentis recenſendi potiſſimum ſunt Affectus, qui non incongrue definiri poſſunt cum Carteſio = animae motus, qui ad ipſam referuntur, quique a vehementiori ſpirituum commotione procreantur, foventur, ac roborantur =.

XLVII. Nam cauſſa proxima, & immediata affectuum eſt ipſa ſpirituum animalium violenta commotio, quae mentem exagitat, atque perturbat.

XLVIII. At ſedem habent affectus non in corde, non in ſanguine, non in ſolis ſenſibus, ſed in anima tamquam in ſuo, ut vocant, ſubjecto.

XLIX. Animi vero potentia, ad quam affectus pertinent non alia eſſe videtur, quam voluntas: praecipue cum omnes ex amore, & odio, tamquam e fontibus, deriventur.

L. Quare affectus non ſunt collocandi aut cum Stoicis in ſola opinione, vel cognitione, aut cum Scholaſticis nunc in iraſcente appetitu, nunc in concupiſcente.

F I N I S.

Publica diſputatio habebitur in Templo Societatis Jeſu Anno 1771. *Menſe Julio Die* 23. Hor*a* 21. *Diſputante, qui ſupra, HIERONYMO GIULIANI Bartolini Collegii Convictore.*

XLII. Nam Sacri Codices utriusque Testamenti ex una parte & genuini sunt, & veraces, si vel ad severiores Criticae leges expendantur:

XLIII. Ex alia parte vel sola naturali ratiocinatione ostenditur, eosdem Codices Religionem continere divinitus revelatam.

XLIV. Itaque praeter Naturalem, etiam Revelata Religio admittenda est.

XLV. Perperam igitur jactant quotidie in vulgus per summum nefas Deistae, Religionem revelatam esse merum Catholicorum commentum.

DE HUMANA MENTE.

XLVI. INter praecipuos actus humanae mentis recensendi potissimum sunt Affectus, qui non incongrue definiri possunt cum Cartesio = animae motus, qui ad ipsam referuntur, quique a vehementiori spirituum commotione procreantur, foventur, ac roborantur =.

XLVII. Nam caussa proxima, & immediata affectuum est ipsa spirituum animalium violenta commotio, quae mentem exagitat, atque perturbat.

XLVIII. At sedem habent affectus non in corde, non in sanguine, non in solis sensibus, sed in animâ tamquam in suo, ut vocant, subjecto.

XLIX. Animi vero potentia, ad quam affectus pertinet, non alia esse videtur, quam voluntas: praecipue cum omnes ex amore, & odio, tamquam e fontibus, deriventur.

L.

L. Quare affectus non ſunt collocandi aut cum Stoicis in ſola opinione, vel cognitione, aut cum Scholaſticis nunc in iraſcente appetitu, nunc in concupiſcente.

FINIS.

Publica diſputatio habebitur in Templo Societatis Jeſu Anno 1771. *Menſe Julio Die* 23. Hora 21. *Diſputante, qui ſupra, HIERONYMO GIVLIANI Bartolini Collegii Convictore.*